



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

Ad quid valet patientia. Cap. XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

probitati. Possent etiam singula istorum singulis tolerandis quoquo modo appropriari. Verbi gratia: Patiens dici potest, qui dolores æquo animo tolerat, vt Iob, Tobias. Fortis est, quem tentationum certamina non enervant, vt Ioseph. Constans, quem terrores & labores non pusillanimum faciunt, vt Machabæi. Magnanimus, qui ardua & difficilia aggredi non expauescit, vt Dauid, Ioannes Baptistæ. Longanimis, quem longa expectatio à spe desiderij non frangit, vt Abraham. Mitis est, qui odientium iaculis nequaquam irritatur, vt malum pro malo retribuatur, vt Moyses. Mansuetus, qui corde tranquillus est & moribus tractabilis, vt Ioannes Euangelista.

Ad quid valet patientia.

CAP. XXXVI.

VALET autem virtus patientiæ ad multa. Primò tolerabiliora reddit præsentis vitæ incommoda: quia aduersitas quando cum impatientia est, triplex incommodum dat: extrinsecus homo affligitur, & intrinsecus per impatientiam amaricatur, & insuper mala conscientia rodit mentem pro reatu culpæ. Secundò, patientia est magna mentis refectio: quia sicut corpus pascitur conuiuio; ita mens virtutum dapibus saginatur. Tertio, magna est ædificatio proximorum, & tanto maior quanto rarior. Plures videmus castos, abstinentes, pauperes, semetipsos humiliantes, elemosynas facientes, orationibus instantes, bona dicentes, fide constantes: sed paucos admodum in contumeliis, & detractionibus & despectionibus humiliter patientes. Excusamus & defendimus nos, ne fortè alij scandalizentur de nobis, putantes nos esse culpabiles si taceamus:

Patientia
efficitur.

Patientia
rara est.

ceamus: cum ex hoc magis reprehensibiles iudicemur, quod per impatientiam nos vindicamus, & mordētes nos acriter remordemus.

*Rom. 12.
in Euang.*

Sicut dicit Gregorius: Imitanti Deū gloriosius est iniuriam tacendo sustinere, quam respondendo superare. Quarto, patientia purgat peccata praeiterita, & praecavet a futuris. Quinto, auget gratiam in praesenti virtutem & spiritualium donorum.

Psal. 93, 19

Iuxta illud Psal. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificauerunt animam meam.

1 Mc. 6, 23

Sexto, meretur magnā gloriam in caelo. Luc. Gaudete & exultate, ecce merces vestra multa est in caelis. Septimo, singularis est retributrix passionis Christi. Talia enim studet rependere, qualia ab eo accepit, qui dolores nostros portauit.

Isa. 53, 4

Et haec est singularis laetitia sanctorum in tribulatione patientium & gaudentium, quod sic occasionem habent & oportunitatem aliquo modo retribuendi Domino pro illa magna charitate, qua pro nobis animam suam posuit, saltem aliquid sustinendo: quia bonorum nostrorum non indiget, ut aliquid ei de nostro dare possimus.

Psal. 115, 2

Mat. 24, 30

Cum in iudicio veniens ostendet indicia passionis suae omnibus, magna erit confusio illis, qui pro ipso nihil pati voluerunt: & magna gloria illis, qui pro ipso multa & magna patienter sustinuerunt. Signum etiam specialis dilectionis videtur, cui dat Dominus aduersa pati, quasi impari ei dignetur partem oneris sui portandi, sicut ille Simon Cyrenaeus crucem Dominicam portauit. Solent enim socij in via cum lassantur, rogare eos, quibus plus confidunt, & quos diligunt specialiū, ut partem oneris sui pro se ad horam ferant: ut hoc quasi iudicium sit illis, quod maiorem habeant de eorum dilectione fiduciam, quibus onera sua portanda

1 Mc. 23, 36

impo-

imponunt, quàm de illis quibus formidant imponere, ne fortè nolint æquo animo portare. Sic & Dominus qui nobiscum est omnibus diebus in via hac qua ambulamus, lassatus vsq; ad mortem labore suæ passionis, quærit quis nostrum velit ei compati, & onus tribulationum suarum, quod adhuc in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, sustinet, secum portare: quia hanc passionem quam caput in se pro nobis instituit & sustinuit in carne, diuisit per omnia membra fidelium suorū: vt sicut oportebat pati Christum, & ita in gloriam suam intrare; ita & membra eius, si capiti fideliter compatiantur, & conglorificabuntur: sicut socij fuerint passionis; ita & resurrectionis erūt. Qui enim plus cōpassus Christo fuerit, etiam propius cum eo regnabit.

Mat. 28, 29

Luc. 24, 26

Rom. 8, 17

2. Cor. 1, 7

De gradibus siue profectibus patientiæ.

CAP. XXXVII.

GRADVS siue profectus patientiæ. Primus, vt discat homo morus iræ & impatientiæ per pugnam cohibere & reprimere, ne erumpat foras in verba vel facta illicita. Sicut ignis suffocatus fumo suo extinguitur; si autem non cohibetur crescit, & omnia quæ attingere poterit cremabilia incendit. Quatuor autem modis solet ignis extinguī, perfusione, obstructione, dissipatione, & defectu materiæ. Simili modo ignis impatientiæ deferuescere consuevit. Perfusione prudentium consiliorum: vt maturè deliberet homo quantum ei nocere possit impatientia, & quantum patientia prodesse. Quæ quia superius de remediis dicta sunt, prætereo immorari. Obstructione vel obstructione oris & labiorum, ne lingua proliat in verba falsa & nugigerula, vel ne manus erumpat in facta furibunda. Vnde Psalm.

Gradus I.
In verba &
facta illicita non
erumpere.

Quomodo
ignis iræ
impatientia
extinguitur.

T 3

Pone